

**773** salvis ddd. nnn. Valentiniano Valente et Gratiano | victoriosissimis semper Aug., dispositione Iuli | v. c. com.<sup>1</sup>, magistri equitum et peditum, fabri|catus est burgus ex fundamento mano devo|tissimorum equitum VIII Dalm.<sup>2</sup>, s. c.<sup>3</sup> Vahali trib., | in consulatum<sup>4</sup> d. n. Gratiani perpetui Aug. iterum. | et Probi v. c.<sup>5</sup>

*Loco dicto Umm-et-Djemâl provinciae Arabiae (III 88 descr. Waddington).* — 1) *Idem videtur esse Iulius memoratus ab Ammiano 31, 16, 8.* — 2) *Equites Nono-Dalmatae recensentur in Notitia Or. c. 4 'sub dispositione viri illustris magistri militum praesentalis'.* — 3) *Sub cura.* — 4) *Scr. consulatu.* — 5) *A. 371.*

**774** ddd. nnn. Valentiniani Valenti|s et Gratiani perennium Augustor|um saluberrima iussionem, hunc | burgum a [f]undamentis, ordinante | viro clarissimo Equitio<sup>1</sup> comite et | utriusque militiae magistro, i|nsistente etiam Leontio pp.<sup>2</sup>, mili|tes auxiliares Lauriacenses<sup>3</sup> cu|re eius commisi, consulatus | eorundem dominorum prin|cipumque nostrorum tertii<sup>4</sup>, ad | summam manum perduxerunt | perfection[is].

*Ips ad Danuvium, ubi videtur fuisse Fafiana, rep. a. 1508, et Vindobonam translata, saepius descripta saec. XVI, post periit (III 5670<sup>a</sup>).* — 1) *Vide N. 762 et 773.* — 2) *Sine idonea causa hunc Leontium praepositum eundem esse putavit Borghesius atque Leontium praefectum praetorio Illyrici, a quo nescio quo tempore aedificatam esse Thessalonicae aedem sancti martyris Demetrii tradit Photius bibl. cod. 255.* — 3) *De Lauriaco (hodie Lorch prope Enns) cf. Mo. C. III p. 689.* — 4) *Tertio consules fuerunt Valentinianus et Valens a. 370.*

**775** iudicio principali dominorum nostrorum | Valentiniani Valentis et Gratiani | principum maximorum, dispositione etiam | illustris viri utriusque militiae magistri | Equiti[is]<sup>1</sup> comitis, Foscanus<sup>2</sup> praepositus | legionis primae Martiorum<sup>3</sup> una cum | militibus sibi creditis hunc burgum, | cui nomen commercium, qua causa et factus | est, a fundamentis et construxit et | ad summam manum operis in diebus XXXXVIII | consulatus d. [n.]<sup>4</sup> Gratiani Augusti bis | et Probi viri clarissimi<sup>5</sup> fecit pervenire.

*Ad Danuvium prope Gran (provinciae Pannoniae) (III 5655 semel descripta saec. XV).* — 1) *equitis traditur. De Equitio cf. supra ad N. 762. Ab eo Illyricum iniquissimis tributorum exactionibus adflictum esse ad eum ipsum annum, quo hic titulus positus est (371), scriptum est in codicibus quibusdam Chronici Hieronymiani, sed non ab ipso Hieronymo (cf. Mommsen Herm. 24 p. 400).* — 2) *Nomen fortasse corruptum.* — 3) *Legio Martiorum recensetur in Notitia Or. c. 8 inter legiones comitatenses octo, quae erant sub dispositione viri illustris magistri militum per Illyricum.* — 4) *divi nostri traditur, compendio male soluto.* — 5) *A. 371.*

**776** forum populo Romano suo [dono dederunt] domini et principes nostri [imppp. Caesss.] Valentinianus Valens et [Gratianus Auggg.], curante Flavio Eupraxi[o] v. c., [praef. urbi].<sup>1</sup>

*Romae 'in foro Palatino' vidit, qui solus descripsit, auctor vetustae syllogae servatae in codice Einsidlensi (VI 1177).* — 1) *Eupraxius praefectus urbi fuit a. 374 (cod. Theod. 11, 29, 3. 11, 30, 36. 11, 36, 21).*